


PHILIPPI VALENTINI
IN VATICANO SEMINARIO RECTORIS, AC LVDI MAGISTRI.

ORATIO

Ibidem in Studiorum auſpicijs
A MARCO ANTONIO BALESTRA BRACCHIANENSI
Eiuſdem Seminarij Alumno habita.
V I. Idus Nouembris.





ROMÆ,
Typis Ludouici Grignani. M.DC.XLVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO DOMINO
CARDINALI
BARBERINO
VATICANAE BASILICAE ARCHIPRESBYTERO.

Philippus Valentinus F.



RATIVNCVLAM paucis à me noctibus lucubratam, Eminentissime Cardinalis, *nõ tam dico tibi (quid est enim in ea, quod tanto honore digne- tur?) quam per illam consilium, animumque meum testari cupio, vt si quid eius opinionis, in quam Te adducere nonnulli conati sunt, me iuuentuti erudiendæ imparem esse, animo fortasse Tuo insitum fuerit, vel facto periculo, penitùs euellatur, vel ipse decernas, quod Seminario expediat. Ego nunquam arbitratus sum me scire aliquid, siquidem probe noui, quam exiguum sit ingenium meum, imò fateor ingenuè, quod ipsi minus syncerè inculcare subinde non*

desinunt: sed illorum iudicio acquieui, qui me, explorata opera mea, idoneum declararunt. Horum, inquam, testimonio fretus magis, quam importunis vocibus deterritus delatum mihi munus non recusaui, nec recusabo, quoad Amplitudini Tuæ, atque Illustrissimis Canonicis gratum esse videro officium meum. Simulac præsensero cuiquam ex Clero, etiam infimo seruitutem meam non probari, profectionem ornabo, Tuamque voluntatem, atque Illustrissimorum Virorum habebo semper iure optimo antiquissimam. Quid enim me aliorum dicta cōmoueant? Dies profectò declarabit omnia. Meum esse video dissimulare, vt omnes intelligant non tam dedecere Profanum par pari referre, quàm Sacerdotem ista non negligere. Diutissime Te incolumem seruet Deus.

ORA-

ORATIO.



NISI apud vos diceremus, Eminentissime Princeps, ac nobilissimi Auditores, quorum singularia in nos promerita abundè testata sunt, quàm sitis erga nos egregiè animati; profectò verendum esset nobis, ne hodierna die, in studij renascentis exordio, vel nostra rideretur infantia, vel eius, qui nos instituit sedula nimis, atque ostentationis plena videretur industria. Quid enim inconsideratiùs factum dici posset, quàm nos, infantes prorsus, ac balbos, nec ipsam veritos Purpuram vndequaquè sapientiæ lumine præfulgentem, apud eruditissimos Viros, de rebus præstantissimis, hoc est de scientijs, verba facere? Quòd si quis eorum fortè nunc adsit, qui in semet nunquam descendentes, nec quod in tergo est manticæ, reuocantes in pectus, in alienis deprehendendis, carpendisque vitijs plusquam Lincei, in suis perspiciendis quouis Tiresia cæciores esse consueuerunt; is nactus occasionem, procacitati suæ maximè idoneam, per plateas, & compita, per domos, ac templa (eousque transuersos agit nescio quis Genius malus) nostrum huiuscemodi institutum cum sui similibus, eodem videlicet œstro percitis, criminabitur. At detur non nihil gratuitæ maleuolentiæ; pleraque morbo animi concedantur. An non ipsi temerè se produnt, & quod intus habent mercium, foris linguæ petulantia palam faciũt? Similis eorum dicax videri possim, si leuissimorum hominum iniurias, quibus, varia in vulgus iactantes, mentientesq., nos quotidie lacessunt, persequi dicendo velim. Quamobrem rideant, per nos licet, carpant, detrahant, conuicientur, grãdi supercilio, & caperata fronte metum nobis, ac terrorem incutiant: quod ipsi per se præstare, vel nequeunt, vel non audent hominum audacissimi, dent alijs, quidquid illud est negocij; quandoquidem non exigua illorum copia est, qui

ſuapte ſponte ad malum currant; ad bonum, ne calcari quidem, concitari poſſint. Ex horum numero haud erit difficile ſubrogare, qui ſua conata, non minus impudenter, quàm inconſideratè perficiant. Nunquam tamen efficient, vt ſuo amarulento, atque importuno latratu à curſu, quem inſtituimus, reuocemur. Sed quò me rapit Sycophantarum improbitas? Propè iam exciderat apud quos dicerem. Ignoſcite Patres Ampliſſimi, humaniſſimiq. ſi quid dediſſe videmur iracundiæ. Proſcindi Seminarium noſtrum, & audaciſſimo cuique eſſe perfidiæ locum; quis noſtrum, ſiue quis bonorum modicè ferre poſſit, aut tacitus? ſi quæ nobis obijciunt (inutiles ſcilicet impenſas, & præter abecedaria elementa, nihil prorſus in hoc Seminario doceri, ad quod vnum, collapſis cæteris, tanquam ad ſacram anchoram confugerunt) vera eſſe comperietis; proſpicite, quando veſtra res agitur, huic incommodo, & nolite pati, tot ſumptus perire, tot præclara ingenia (perinde quaſi præclarum quid eſſe poſſit, quod tam perditis moribus ſit inquinatũ) culpa Inſtitutoris marceſcere, & à curſu maximarũ rerum retardari. Præſto eſt, quem poſſitis præficere, huic muneri, non modo parem, ſed longè etiã ſuperiorem, qui ſpectatæ, ſingularis, atque admirabilis doctrinæ Vir, non in grammaticis ſolùm, & literis politioribus, ſed in Philoſophia, Theologia, & in quouis ſcientiarum genere, vno, eodemque tempore, & quàm breuiſſimo, eximiæ profectò indolis, & ad maxima natos Iuuenes inſtituat. Nolite inquam pati, vt tanta rei bene gerendæ occaſio veſtris per imprudentiam manibus elabatur. Sin autem ex animi prauitate, & abundantia cordis eblocutos eſſe animaduertiſtis; præclarè cum ijs agitis, quòd eorum calumnijs aures non præbetis, quorum tam inſignis fuit confidentia, tamq. immodica æſtimatio ſui, vt ſibi perſuaſerint vnumquemque veſtrum in ſuam ſententiam pedibus diſceſſurum. Sed eò, vnde digreſſi ſumus, reuertamur, atque ego (vt pro me pauca loquar) ea conditione, ac lege in hunc ſuggeſtum aſcendi, vt, quemadmodum prudentes illi veteres, filios ſuos ad fo-

brie-

brietatis, ac temperantiæ virtutes informare volentes, in eorum conuiuia ebrios admittebant, vt temulentiæ perspecta deformitate, perpetuò abhorrerent à vino; sic ego sodales meos ad præclara studia cupiens inflammare; ab imperitia non tam verborum cohortatione, quod me non posse facere sat scio, quàm mea ipsius inscitia deterrerem, & non minus ipse profuisse viderer ignorantia, quam quiuis alius prodesse potuisset sapientia. Sed vnde initium ducet Oratio? Quam ego potissimum è tanto optimarum artium numero mihi seligam, vt cum de vna dixero, cæteras neglexisse non videar? Si de omnibus omnium expers dicere voluero; meritò sim reprehendendus, quòd vestra in me benignè audiendo patientia sermonis prolixitate non minus abuti possim, quàm verborum inconcinnitate videri. Quid igitur faciam? Adhibebitur à me certa ratio, moderatioquè dicendi, vt & de paucis dicam singillatim, & omnes communi scientiæ vocabulo comprehendens, omnibus breui oratione satisfaciã. Quid autem est scientia (vt hinc faciam initium) quàm cæleste quoddam bonum, Dei beneficio delatum in terras, atque hominum generi, vt à cæteris differret animantibus, eiusdem bonorum omnium Largitoris ineffabili benignitate concessum? Est enim homini commune cum brutis viuere, sentire, moueri, quæ sunt ad vitæ conseruationem, propagationemq. necessaria, natura duce, ac Magistra inquirere, ac peruestigare; fugere, ac declinare contraria. An non est vermibus, quemadmodum ipsi homini, voluntarius impetus, quo vltrò, citròq. feruntur, procedunt, recedunt, consistunt? At quanti est illud, in plerisque superari homines à brutis, ab Aquilis perspicuitate visus, à Canibus sagacitate odoratus, à Simijs excellentia gustus, tactu ab Araneis, ac Serpentibus? Præstat hominem pulchritudine Pauo, fortitudine Leo, viuacitate Cornix, pernicitate Lepus, agilitate Capreolus. At si sapiens sis, si præclaris artibus instructus, si scientia præditus, iam te à brutis exemisti; à proletarijs hominibus, atque ab imperita multitudine seiunxisti; è tenebris

emer-

emersisti ad lucem summa cum omnium admiratione, venerationeque conspiciendus. Siquidem hominis est animum doctrinis excolere, bene de vnaquaque re sentire, ac iudicare, ea quæ sentit ornatè eloqui, atque exprimere dicendo posse; rerum principia, causas, & effecta certa quadam ratione cognoscere. Quo quid præstantius, quid admirabilius, quid omni ex parte iucundius ab immortali Deo tribui nobis potuisset in vita? Id quia bonum est animi, reliqua corporis, ac fortunæ bona, caduca illa quidem, ac mobilia, longe antecedere dicendum est; quippe quod non interit morbo, non deflorescit ætate, non soluitur morte. Editiorem obtinuit sedem, quam vt ad illud prædonum manus pertingant; tutiùs asseruatur, quàm vt possit à furibus subduci; altissimis defixum radicibus, nec temporis labefactari potest iniurijs, nec dimoueri loco. Scientia non diminuitur communicata, non diuiditur diffusa, non dilabitur distributa; sed sparsa colligitur, erogata reuertitur, publicata suscipit incrementum. Voluptatem affert sine pœnitentia, iucunditatem sine rubore, vtilitatem cum honestate: explet animũ, oblectat mentem, perficit intellectum, totum denique hominem nobilitat, illustratq. I nunc, & diuitias confer cum scientia (cætera consultò prætereo) quæ vel industria, vel fraude comparatæ, nec custodiri sine periculo, nec possideri sine metu, nec amitti sine dolore possunt, amissæ quoque sui memoria, ac desiderio fodicant; sordidæ plerumque (præsertim illiteratæ) insatiabiles, perniciosæ, immisericordes, impiæ, soliciti plenæ timoris. Hinc Tantalus fugientia captat flumina, Midas quidquid tangit orat, vt vertatur in aurum, Crassus trucidatur à Parthis, Pigmalion germanæ securus amorum, Sichæum obtruncat ad aras, Euangelicus ille Diues Mendicum prohibet à micis, Dionysius candentibus iuglandium putaminibus, quod ne suis quidem filijs satis fidat, barbam sibi, & capillum adurit. Scientia semper honesta, nunquam non vtilis, perpetuò iucunda, pauperi adiumentum, diuiti ornamentum, iuueni documentum, se-

ni

ni oblectamentum affert. In necessitate virtutem, in aduersitate tolerantiam, in prosperitate modestiam, in omnibus decus, atque honestamentum confert. Ventura prævidet, præsentia regit, præterita meminit, sibi conscia, nullius inscia, stuporis nescia. Quam studium peperit, exercitatio nutrit, memoria custodit, honor, & gloria comitantur, plerumque ingentes diuitiæ consequuntur, quemadmodum Regum omnium non sapientissimo solum, sed opulentissimo Salomoni legimus contigisse, qui facta sibi optione, quæcumque vellet vt posceret, solam sibi dari cupijt sapientiam, solam scientiam flagitauit; quid mirum si ea quoque, quæ longe minora sunt, concessit Deus? O scientiam nunquam satis, superq. commendatam! Vtinam te præditus essem, vt te possem pro dignitate laudare. Nam quis te laudet sine te? Sed vt ad peculiaria descēdamus. Quid homini familiarius, imo quid magis propriũ quàm loqui, ac scribere? Quid absurdius, quàm perperam scribere, ac loqui? Magni igitur facienda Grammatica, quæ quadripartita per Orthographiã rectè scribendi tradit rationem, per Etymologiam discrimina casuum, & varias tum nominum, tum verborum inflexiones docet, per Syntaxim coniungit partes, ac totius Orationis fabricam absoluit, per Prosodiam, liberam, & vagam orationem certis quibusdam finibus coercet. Tam est hominis propria Grammatica, quæ congruam, & perspicuam orationem efficit, quam oratio ipsa interpres, & nuncia rerum cogitatarum. Adeo antiqua, vt cum primo homine cœperit; ille enim, cum singulis sua nomina rebus imponeret, & literas inscriberet in Columnis, grammaticam professus est primus. Adeo nobilis, vt Deus ipse digito suo præcepta legis in lapideas tabulas inscribens Grammaticam approbauerit. Adeo vtilis, vt quemadmodum Grammatica linguarumque scientia, tum veritatem aliarum rerum omnium illustrat, tum rectam intelligentiam sacrarum affert literarum, ita earundem ignoratio artes omnes obscuret, & perniciosas doctrinæ cælesti tenebras offundat, vt propterea verissimè scri-

psisse Fabius videatur, grammaticæ professionem plus habere in recessu, quam in fronte promittat. Adeo necessaria, vt Aegyptij veteres illi quidem,& grãmaticæ rudes, inconditis & mutis Hieroglyphicis,& obscuris ænigmatũ ambagibus ad animi exprimenda sensa vsi fuerint, quòd Grammatica carerent. Non potuissent post diuisionem linguarum diuersæ gentes, & nationes quicquam inter se commodè tractare, nisi aliqui exteras linguas, primo obseruatione, & vsu didicissent, postea, vt cæteri facilius perciperent, præcepta, atque artem tradidissent; Non potuissent, inquam, Biblia in græcum sermonem conuerti, nisi Hebraicè pariter, & Græcæ linguæ periti grammatici extitissent. Adde quòd sine grammatica, nec Dialecticus, nec Orator existeret, nec Philosophus naturæ arcana recluderet, nec Theologus diuina mysteria patefaceret. Hinc liquidò apparet, qui hanc artem leuem, atque inanem arbitrantur, eos rectæ Iuuentutis institutioni, saluti, dignitatique Reipublicæ aduersari. Quid de Rhetorica, & Dialectica dicam Sororibus, atque administris sapientiæ? Quarum altera sapientiæ deseruit ad res cognoscendas, & certo quodam ordine tractandas; altera ad easdem res oratione illustrandas, ac populariter dicendas. Hæc palmæ, illa pugno comparatur à Zenone; quòd illa inter angustias argumenti res ipsas perstringens illarum indaget veritatem: hæc nullis inclusa Cancellis, sed libero excurrens in campo de quacumque re proposita, ornatè, copiosè, ac probabiliter differat. Dialectica rerum naturas definitione inuestigat, multiplicia diuisione secernit, ex notis ad ignota argumentatione procedit: Rhetorica partium enumeratione, causarum conglobatione, antecedentium, consequentium, coniugatorum expositione, res, quæ presè, ac summatim explicatæ minus gratæ, ac iucundæ futuræ auribus fuissent, admirabili artificio amplificat, amplificando exornat, exornando delectat, delectando, mouet, mouendo persuadet, persuadendo, vincit. Quid de Poetica existimandum? quam nobilis,

bilis, quam ad hominum vitam instituendam necessaria? Audi Tullium exclamantem. O præclaram emendatricem vitæ Poeticam! Qua summorum Virorum, atque ipsius adeo Dei celebrantur Encomia. Quis explicet honores, quibus omnium temporum Scriptores Poeticā iure, ac merito prosecuti sunt, quantumq. in ea exornanda laborauerint, qui iudicio in dicendo valuerūt? An parum illud in laude, quòd septem Græciæ Vrbes de Homeri patria contendunt? Quòd fontem ingeniorū Virgilium in delicijs habuisse dicatur Augustus? Quòd Horatio Lyrici carminis parenti, idem Augustus tantum detulerit? Quòd Franciscus Primus Gallorū Rex Francisci Petrarchæ sepulchrum suis carminibus decorarit? Quòd Leo eius nominis Decimus tanto in pretio Poetas habuerit? Satis hi mihi quidem videntur ad laudes Poeticæ dicendas, & ab eorum contumelijs vindicandam, qui inutilem eam dicere non verentur, freti testimonio Platonis, qui etiā Homerum eiecit è sua Republica. Verùm ita scripserit Plato, cur verò tam crebrò eius memoriā vsurpat in Ione? Vt si id sit, vel leuitatis meritò arguatur, vel peccasse memoria dicendus, quod ego in tanto Viro non ausim affirmare, sed credendum, ita sensisse Platonem, habita humanæ imbecillitatis ratione, quæ facilè à recta semita deflectit, hoc est, quòd non semper ea bene vti contingit, non quòd illius præstantiā ignoraret. Sed reliqua persequamur. Numquid contemnenda est Philosophia amor, & studium sapientiæ? Hæc vel mores tractat, animum virtutibus imbuens, vitia perpetuò insectans; quid igitur vtilius, aut magis necessarium? Vel rerum naturas scrutatur, principia, & causas inquirendo; quid igitur, vel scitu dignius, vel gustatu suauius? Legem tandem aliquando intueamur, Dei nunciam, hominum Imperatricem, cæli donum, ac bonum terræ, præsidium, ac subsidium artium reliquarum, naturæ vim, mentem rationemq. prudentis, iuris, atque iniuriæ regulam. Lex Cælos gubernat, terras regit, Maria moderatur. Legi parent Reges, Imperatores obtemperant, maximi Duces obediunt, ipsi etiam tartarei

tarei Spiritus subduntur. Lege qui sunt præditi lites dirimunt, discordias componunt, legationes obeunt, Prouincias obtinent, Regna, atque imperia administrāt. Lex tuetur corpus, dum homicidia prohibet, defendit animā, dum mala designari vetat. O donū omni magnificentia præstantius, & dignum tanto Largitore, ac bonorū omnium auctore Deo! Sed quid adhuc vos detineo in enumerandis sciētijs, quæ ipsæ per se ad sui amorem satis inflāmare possunt vnūquemq. nostrū? Hæ sunt merces, quas inuolutas euolui, vestrumq. in conspectum dedi, si velitis ditescere, vt iam necesse non sit maria transmittere, & nouas adire Indias, vt inde aurū asportetis, & gemmas. In Vrbe, atq. adeo intra domesticos parietes ditari affatim poteritis. Pretium non est aliunde quærendum, penes vos est; nam scientia, nec auro, nec gratia cōparatur, nec pretio, nec largitionibus extorquetur; nec donatur à viuo, nec testamento legatur. Sudore opus est, vigilijs, lucubrationibus, lectione, scriptione, meditatione. Ad scientiarū acquisitionē accingimini, si sapitis, pro quibus Anaxagoras rura, Plato patriam, Crates aurū, Democritus oculos, Salomon omnia spreuit, deseruitq. Pallas Iunone præstantior, Venere venustior vult vtriq. præferri. Nostis quanti referat, rectè, vel perperam iudicare. Estote Pastore Phrygio, & suis, & pátriæ perniciosissimo, æquiores. Ne duci sinatis illecebra voluptatis. Sumus in biuio nostræ vitæ: videamus vtrà tutius, atque honestius iter instituere possimus. Herculem imitemur, qui si nunquam potuisset (vt tum aiebant) ad diuinitatē aspirare, nisi de lacte Iunonis degustasset, mortalis alioqui futurus eo nō hausto; nos ad eamdem immortalitatē aspiremus lacte Palladis enutriti:

Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit; ille sibi laudemq. decusq. parabit:
At qui desidiam, luxumq. sequetur inertem;
Virg. de *Dum fugit oppositos incauta mente labores,*
litt. Y. *Turpis, inopsq. simul miserabile transigit æuum.*

Dicebam.

